minorum: a quibus charitative fuimus recepti et tractati: et propriam cellam nobis tribus assignaverunt, et ita cum eis manducavimus, bibimus et dormivimus et Deo pariter servivimus. In illa cella post omnium peregrinorum recessum mansi multis diebus in bona pace et optima provisione de charitate patrum et fratrum minorum montis Syon.

Visitatio sanctorum locorum montis Syon et eorum descriptio.

Tertia decima die, quae fuit dominica 7. post festum Trinitatis et festum S. Margarethae virginis, misit pater Gardianus aliquos de fratribus suis ad hospitale S. Johannis, et vocavit omnes peregrinos ad Missae officium in montem Syon. Et ascenderunt omnes cum illis fratribus in ecclesiam Syon, (B) exspectantes in ea tempus summi officii et Missarum. Erat enim adhuc mane ortus solis, qui nondum ortus fuerat, quando peregrini ascenderunt. Porro fratres ob peregrinorum dominorum reverentiam chorum, ecclesiam et altaria pulchre ornaverunt et vestierunt pretiosis pannis. Nunquam vidi pretiosiores pannos, mulierum opere factos cum imaginibus vitae Christi et mortis, quam ibi. Unde Sarraceni magni et Turci et Mameluci a longinquo venientes petunt sibi pannos aut tapetias illas monstrari. Et quando domini praefecti et capitanei civitatis Jerusalem habent charos hospites, ducunt eos in montem Syon, et rogant fratres suspendi et ostendi pannos. Hos pannos dux Burgundiae Philippus pro illa ecclesia fecit fieri, qui multa alia bona illi conventui contulit. Sed et alia ecclesiae illius ornamenta sunt pretiosa. Altare majus repletum stabat monstrantiis et reliquiariis deauratis, et tabula super altare deaurata, in qua juxta sanctum Franciscum depictum stat etiam sanctus pater noster Dominicus notabiliter pictura expressus. Ecclesia illa non est magna, quia solum est pars ecclesiae Syon. Olim enim, dum adhuc Christiani regerent terram illam, erat grandis ecclesia in loco illo, quam Sarraceni dextruxerunt usque ad absidem vel capellam, quae ecclesiae et choro in dextero latere erat annexa. Et haec pars est hodie ecclesia et chorus fratrum. Ruinae antiqui chori et

256
254
260
250
265
245
305
205
355
155
Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;